non ecclesiae eiusdem moveret quaestionem, ius feodale se habere asserens in eisdem, post multa litigia et controversias pro bono pacis in hunc modum interposuimus partes nostras. Dictus Hugo renunciavit omnibus actionibus et quaestionibus et iuri, si quod sibi competere videbatur in praedictis villis, de aliis omnibus controversiis de bona et libera voluntate, ita quod nec ab ipso, nec a suis heredibus de cetero ulla in perpetuum quaestio domino episcopo Misnensi et omnibus suis successoribus suscitetur. Sane venerabilis dominus noster Albertus Misenensis episcopus usus nostro et domini Alberti de Aldenburch burgravii et aliorum consilio persolvit centum marcas argenti praedicto Hugoni ad redimendam vexationem sive litem inter ipsos diutius agitatam. Ut igitur praedicta concordia inconvulsa maneat atque firma, nos una cum venerabili domino Al. Misenensi episcopo, domino Alberto burchgravio in Aldenburch et saepe dicto Hugone de Wolkenberc nostris sigillis munivimus praesens scriptum. Testes huius rei sunt Cunradus scolasticus, Cunradus de Bich, magister Cunradus, canonici Misenenses, Theodoricus decanus, Johannes de Kuussin et Johannes scolasticus, canonici Wrzinenses, Egellolphus de Lisowe, Albertus de Warin, Heinricus de Schellenberc, Heinricus de Waldowe, Theodericus et Heinricus dapiferi fratres de Burne, Rudolphus et Cunradus fratres de Luppe, Siffridus de Maruz, Geuehardus de Brandeiz et Johannes de Doluz, Ludolfus de Mosela, Heinricus de Chephe milites et alii quam plures. Actum in ... Wolkuitz anno domini M°. CC°. LXII°. Kal. Martii, pontificatus nostri anno decimo nono.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. Angehängt an Pergamentstreifen sind die Siegel der Bischöfe von Merseburg und von Meissen, des Burggrafen A. von Altenburg und Hugo's von Wolkenburg (Flug).

No. 192. 1262. 7. Mai.

B. Dietrich zu Naumburg beurkundet die Abtretung von vier Hufen Landes in der Elbgegend an das Domcapitel zu Meissen und bekennt, dass von diesem ebenda die Lehensherrlichkeit über andere vier Hufen ihm überlassen worden.

Venerabili in Christo patri ac domino A. dei gratia Misnensi episcopo T. eadem gratia Nuwenburgensis episcopus cum orationum devotione paratam ad omnia beneplacita voluntatem. Specialis dilectio, quam erga vestrum capitulum gerimus, nos induxit, ut omni favore benivolentiae preces eiusdem et instantias quantum est possibile prosequamur. Vestrae igitur dilectioni cupimus esse notum, quod capituli vestri precibus ut condecet inclinati, quatuor mansos sitos iuxta litus Albeae inter villam Boruz et Herstein[a]), quos dominus Siffridus ecclesiae vestrae maior praepositus comparavit a domino Wiknando milite dicto de Herstein, qui de manu nostra eosdem tenuit et post emptionem factam a domino praeposito praefato nobis etiam resignavit, liberaliter vobis et ecclesiae vestrae sub omni integritate iuris et dominii, quod nobis in eisdem nomine nostrae ecclesiae competebat, vel quocunque modo competere potuit, perpetuo possidendos contulimus et tradidimus de nostra voluntate ac capituli nostri unanimi et consensu, in restaurum quippe quatuor mansorum sitorum in Schepe[b]),

a) Boritz und Hirschstein an der Elbe. b) Grosszschepa, Par. Lorenzkirch.